

aliquorum contentorum in eis, sive occasione solutionis sive prestationis dicte quantitatis septem milium ducatorum ad quam dicti veneti se obligaverunt, seu aliqua occasione vel causa ex presenti pace vel transactione, seu aliquorum contentorum in ea dicto domino regi nullum jus in ipsis buchis, vel aliqua ipsarum acquiratur, augeatur, vel amplietur ultra quam haberet ante proximam presentem guerram, nec ipsi Communi Veneciarum in ipsis, vel aliqua ipsarum seu juribus suis aliquod prejudicium generetur, nec jus aliquod rupta pace prout supra per dictos venetos acquisitum intelligatur dicto Communi Veneciarum nec dicto domino regi in aliquo diminutum. Et pro majori cautela et stabilimento predictorum dicte partes teneantur ratificare presentem pacem et contenta in ea et quod dictus dominus dux in Consilio habente omnimodam potestatem in quo debeant adesse ipse dominus dux et sex consiliarii sui, tria capita de quadraginta, sapientes de guerra, consilium de quadraginta, consilium Rogatorum et consilium Adiunte nomine dicti Communis teneantur emologare et approbare presens capitulum et dominus dux et omnes de dicto consilio teneantur de observantia corporaliter et expresse jurare super tota pace et specialiter super capitulo supradicto. Et quod omnes duces Venetiarum, qui pro tempore erunt cum eorum consiliis predictis, semper et quandocumque ad requisitionem prefati serenissimi domini regis et successorum ejus teneantur semel tantum pro quolibet duce prestare dictum jurementum. Et versa vice prefatus dominus rex et singuli ejus in posterum successores similiter teneantur de observantia tocis presentis pacis et transactionis et omnium contentorum in ea jurare corporaliter ut prefertur, pro quolibet rege semel tantum. Demum pro stabilimento predictorum, et ut predicta omnia et singula firma sint et effectum et executionem debitam assequantur, dicte partes super omnibus et singulis in presenti pace et instrumento contentis eligunt et assumunt in judicem, cognitorem et executorem omnium predictorum sanctissimum dominum nostrum